



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IV. Hiacynthus Bobo cùm auctoritate legationis translationem cujusdam  
Episcopi peregisset, castigatus est ab Alexandro III. ut docet Innocentius  
III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

Pontifices agere habebat. Romana Ecclesia non solet neque vult decretis suis patenter obviare. Bona fama valde necessaria est Ecclesia Romana. Eadem, licet aliqua interdum toleret, nunquam à concordia canonica traditionis discedit. Obres tamen à Legatis perpetram gressus ponitut alicando Summos Pontifices quid amplissimam potestatem concessissent Legatis.

*I. Cum Geraldus Ostiensis Episcopus nonnulla praeferat jusque presumptissimum in Gallia, commovit eam Gregorius VII. animus, qui omnino ita hanc causam exaggerat ut planè appareat ponuisse illum quod ista à Legato acta fuissent.*

*II. Richardus Abbas Massiliensis, qui legatione Hispanica abusus insolenter erat, tandem revocatus fuit. Contigit istud sub Urbano secundo.*

*III. Hiacynthus Bobo cum auctoritate legationis translationem cuiusdam Episcopi peregrisset, castigatus est ab Alexandro III. ut docet Innocentius III.*

*V. Et hunc quoque Innocentium ponuisse dubium non est quod Cencius Legatum in Siciliam misisset. Colligiuntur istud ex epistola ab eo scripta ad Legatum.*

*V. Conradus Marburgicus Legatus in Germania constitutus adversus novos quosdam hereticos, ferro flammamque graeciam, multos nimis precipiti sententia damnavit, ut scribit Godefridus.*

*VII. Istud ipsum probatur ex epistola Archiepiscopi Moguntini & fratri Bernardi. Docet autem Albericus Gregorium, his anduis, ponuisse quod tantam potestatem Corrado permisit unde talis confusio emisit.*

*VIII. Eidem Gregorio necessarium fuit revocare ex Argilia Ottoneum Legatum, ob moris occasione Legati exortos in ea regione.*

**I.** N E F L I C E S illi eventus quos in superioribus capitibus enarravimus, & mala fama Legatorum, quæ sedem apostolicam onerabat, haud dubiè in animis Pontificum Romanorum agere accipiebantur. Verum quia ea est Romana Ecclesia consuetudo, quemadmodum obseruat Ivo Caronensis Episcopus, ut neque soleat neque velit decretis suis patenter obviare, toleranda aliqua fuerint; ne si statim quorumlibet Legatorum facta in questionem adducerentur, bona Romana Ecclesia fama periclitaretur, quam sedi illi valde necessariam esse ait idem Ivo. At cum Legatorum crimina adeo erant manifesta ut nulla arte, nulla dissimulatione tegi possent, adeoque tolerari non deberent, tum Romana Ecclesia sequebatur regulam à Gregorio VII. constitutam, qui sic scribit ad Sancium Regem Aragonum: *Soles enim sancta & apostolica sedes plerique considerata ratione tolerari, sed nunquam in suis decretis & constitutionibus à concordia canonice traditionis discedere.* Itaque cum Legati, gradus & ordinis sui immemores, potestatem quam acceperant in apertam licentiam vertebant, tum verò fremere & indignari Romani Pontifices, & si decens fuisset, facta Legatorum mittere in irritum. Verum quia periculum erat ne infamis apo-

stolicae sedis inconstantia notaretur, Roma. *Eadem lib. 11. cap. 16.* ni Pontifices non palam quidem rescindebant quæ acta à Legatis in provinciis essent; sed tamen interdum eos pœnituit quod amplissimam potestarem Legatis concessissent.

**II.** Initium faciamus à Gregorio septimo. Pontificatu ejus, Geraldus Ostiensis Episcopus & sedis apostolicae in Aquitania Legatus nonnulla præter jus falso, ut Baroniū air, presumpserat. Nimirus quodam Episcopos inuste excommunicaverat, quodam inordinate deposuerat, alios immiterò interdixerat. Certum erat Gregorio acta Legatorum non esse abroganda. Et tamen cum nollet infamiam pravi judicij ad se usque pertingere, ut ejus verbis utamur, in Giraldum nonnihil commotus, asperioribus eum verbis perstrinxit, simul modum praescribens quem tenere oporteat ut iuste provincialium querelæ sopiantur. Et omnino ita hanc cauam exaggerat ut planè appareat nihil aliud eum per ea tempora maluisse quam ne Giraldus auctoritate Legati instructus fuisset, ob honorem scilicet apostolicae sedis. Extant Gregorij literæ ad Giraldum, quas lector confulere potest.

**III.** Idem Gregorius Legatum in Hispaniam misit Richardum Abbatem Massiliensem. *Multa is (ut Mariana ait) insolenter facere videbatur, & concessa ad salutem potestate maxima & amplissima ad questum & tyrannem abuti: res publica sursum deorsum agebatur.* Romani Pontificis nomen & maiestas importunis Legati actionibus fugillabatur. Vivente Gregorio, mansere quæ constituta gestaque à Richardo fuerant, nullo obsistere aucto. Immo tanta ejus auctoritas erat, tanta dignatio, ut licet eum Victor III. Gregorij successor excommunicasset in synodo Beneventana, semper tamen apostolicae sedis vices ageret in Hispania. Sed cum ille multa, ut diximus, ageret insolenter, Bernardus Tolentinus Archiepiscopus, cuius dignitas tum surgebat, ad subvertendum Legatum Romanum profectus, ed pervenit sub initia pontificatus Urbani secundi, à quo obtinuit ut Legatus Richardus revocaretur; ut docet Rodericus Archiepiscopus Tolentinus his verbis: *Verum quia Richardus Legatus se gerebat in aliquibus minus caute, religione & auctoritate compescuit attentata, adeo quod ille Richardus legatione privatus, fuit ab Urbano Summo Pontifice revocatus.*

**IV.** Hiacynthum Bobonem Tituli sancta Mariae in Coimbrin Diaconum Cardinalem, qui postea fuit Romanus Pontifex dictus Celestinus tertius, Hispania, ut Marianæ verbis utamur, Legatum priorum Pontificum diu habuit, præcipue verò tempo-

*Iust. epist. 260.*

*Iusta epist. 291*

*Gregor. VII. lib.  
2. epist. 50.*

## & Imperij Lib. V. Cap. LIII.

157

ribus Alexandri tertij , sub quo plures in Hispania synodos ab Hiacyntho celebratas fuisse reperio. Suetus potestati & imperio animus multa tentavit quæ varias querelas excitarunt , ut alibi observabimus. Nunc satis sit admonere castigatum fuisse illum ab Alexandro , quia præsumperat peragere translationem Episcopi ab una sede in aliam. Testatur istud Innocentius III. ad Cencium Cardinalem scribens , qui , ut statim dicitur , Trojanum Episcopum transtulerat ad Ecclesiam Messanenlem. Nam cùm factum illius culpasset , demum addit : *Non ergo in ejus edium vel ad injuriam tui reputes esse factum , sed ut privilegium Petri maneat inconsumum ; cùm etiam felicis memorie Alexander Papa predecessor noster quæ simile fecerit , obviando præsumptioni Legati quem in Hispaniam destinarat , volenti simile attentare.*

V. Innocentium quoque tertium non dubito quin penituerit quod amplissimam protestatem tribuisse Cencio Presbytero Cardinali Tituli sancti Laurentii in Lucina , quem , ut dictum est supra , Legatum constituerat in regno Siciliæ. Is propria auctoritate , inconsulto Pontifice , qui translatio-nes Episcoporum ad solum Pontificem Romanum pertinere declaraverat , Galterum Trojanum Episcopum ad Panormitanam Ecclesiam transtulerat. Graviter & iniquo animo id tulit Innocentius , ut patet ex epistola ab eo scripta ad Legatum , ex qua colligere possumus penitusse illum quod Cencium Siciliæ Legatum creasset. *Nisi specialis illa dilectio , inquit , quam ad personam tuam habuimus & habemus , justum immo justissimum motum nostri animi temperaret , pœna docente cognoscere quantum in personam\* tuam exceperis , quantum in Romanam Ecclesiam deliqueris matrem tuam ; que cùm te nutrirerit & exalaverit , tu eam penitus sprevisse videris. Tu autem spretis canonici sanctionibus & consuetudine generali , motu proprio præsumpsisti , quod nec factum fuit nec auditum , venerabilem fratre nostrum Trojanum Episcopum regni Sicilie Cancellarium preter speciale mandatum nostrum de Trojana Ecclesia ad Panormitanam de facto , quia de jure non potuisti , transferre. Sed altius penetravit dolor Innocentij , cùm tempore-mentum à se allatum in hac causa contemp-tum videt à Gualtero per summam audacia-  
m. Tum puto Innocentium ex intimo cordis sensu pœnituisse concessæ Cencio legationis , cùm obsisti sibi videret in re magni momenti.*

VI. Anno MCCCXXXIIII. cùm quæ-dam foedissima hæresis suborta esset in Ger-mania , Gregorius IX. ei abolendæ inten-tus , Episcopis quibusdam illarum partium ,

tum etiam Magistro Conrado Marpurgi-co , viro eloquentia sacra laude insigni , qui sanctæ Elizabeth Hungarorum Reginæ à confessionibus fuerat , injunxit uti teterri-mam illam luem conscriptis quamprimum crucisignatis præfocarent. Hæc tantum Gregorius. At Conradus , ut erat homo haud dubiè servidus , ferro flammâque gra-sandum putavit. Quos enim semel suspicatus erat hæresi illa imbutos esse , tametsi inno-centes essent , séque hæreticos non esse pa-lam & aperte contestarentur , flammis ad-dici jubebat , nisi faterentur se reos esse. *Nam & propera verae hæreses , inquit Godefridus monachus sancti Pantaleonis ad Coloniæ , & proper factas , multi nobiles & ignobiles , Cle-rici , monachi , inclusæ , burgenses , rustici , à quo-dam fratre Conrado igni supplicio per diversa Teutonia loca ( si fas est dici ) nimis precipiti sententia sunt addicti. Nam eodem die quo quis accusatus est , seu justè seu injustè , nullius ap-pellationis , nullius defensionis refugio proficien-te est damnatus & flammis crudeliter injectus.*

VII. Exstat in Chronico Alberici mona-chi Trium fontium epistola Archiepiscopi Moguntini & fratri Bernardi Dominicanici , qui fuerat olim Pœnitentiarius Papæ , ad Gregorium IX. in qua describuntur qua per eundem Conradum sive ac crudeliter gesta tum in Germania fuere. Inter cetera verò ista dicunt , quæ optimè congruunt cum narratione Godefridi : *Et horum accusa-tio paulatim capit ascendere à rusticis ad burgen-ses honorabiles & eorum uxores , inde ad castella-nos & nobiles , in fine ad Comites propè & longè positos. Et Magister nulli quantumvis alte per-sonæ locum dedit legitimè defensionis , nec etiam confiteri proprio sacerdoti ; sed accusatum oportait confiteri se hereticam esse , buffonem , cattum , pallidum virum , & hujusmodi monstra diffiden-tia pacis in oculo salutasse. Taliter quidam ca-tholici abjudicati maluerant innocentem cremari & salvare quād mentiri de criminis turpissimo , cuius non erant consciæ , & supplicium promereri. Quibus ipse Magister martyrium promittebat. Alij infirmi potius elegerunt mentiri quād comburi. Et infra : Et facta est confusio à seculis inaudita. Ego Archiepiscopus Magistrum Conra-dum primò solus , postea cum duobus Archiepisco-pis Colonensi & Treverensi , monui ut moderati-  
tis & dicretiis in tanto negotio se gereret. Qui non acquiecerit ; sed tandem contra nostram monitionem crucem publicè predicavit Moguntia. Quo viso , quidam ex illis interfecerunt eum prope Marburch. Addit post ita Albericus : Quid ad hec Dominus Papa rescripsit , nondum scimus ; nisi quod pœnitet eum satis quod tantam di-ctio Magistro Conrado potestatem permisit unde talis confusio emerit.*

V iii

*Chronicon Alberi  
rici MS. in Bi-  
bliotheca regia.*

*Cop. Roid trans-  
f. De off. Leg.  
u. Titula Collecta.*

*Filo super cap.  
t. 3.7.*

*Cop. Inter corpo-  
rata De cancellaria  
Episc. & in Regis-  
tatione. IIII.  
lib. sp. 512.*

*Cop. M. Specia-  
li. De off. Leg. in  
Titula Collecta.*

*Urbana*

*Filo. Oder. P. 97.  
nihil. 42.1200.  
6.1.*

*Bla. Zeyland.  
Acta. 1511. S.  
41. 6. folg.*